



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

274. An quis redire possit ad beneficium, in quo ius quæsitum Resignatorio, dum non servantur conditiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

neficium inducit renunciatio. Paris. nu. 36. ex Abb. communiter recepto in c. sollicitè. de restit. spol. ) repellit aliquè à repetitione sui beneficij. Paris. n. 35. citans Rotam. decis. 2. de restit. spol. ac dicens esse communem teste Navar. Operaturque exceptio cessionis eundem effectum, quem exceptio litis finitæ & rei judicatæ. Paris. n. 37. sic resolutum dicens in Mediolan. pensionis. 1. Julii 1551. teste Caputaq. decis. 320. p. 1. de hoc intelligunt doctores, dum dicunt, renunciantibus sua beneficia ad illa obtinenda non dari regressum. Paris. ibid. n. 9. citatis quamplurimis. Proceditque responsio etiam in tacita renunciatio; cum tacita renunciatio in præjudicium resignantis idem operetur, quod expressa. Paris. loc. cit. n. 10. citans C. Paris. conf. 76. n. 1. & seq. vol. 4. Hojed. de incomp. p. 1. c. 13. n. 36. & c. Procedit item, etiam si renunciatio non fuerit juramento firmata. c. transmissa. & c. presentia. de renunc. Paris. n. 37. & 30. citans Abb. in c. super. 20. n. 7. de renunc. Nav. in c. accepta. de restit. spol. n. 7. Verumtamen, quia hæc responsio multas patitur limitationes & casus, in quibus iste regressus videtur esse licitus, sit

*Quæstio 271. An, qui resignavit inconsulto, possit panitere & repetere beneficium?*

**R**espondeo: Potest, si necdum collatio sit facta alteri. Paris. l. 1. q. 13. nu. 19. citans Gemm. in c. 2. de renunc. in 6. nu. 12. Burlat. conf. 393. n. 10. vol. 4. ac dicens esse communem. Sic locum habere in eo responsum, qui motus iræ vel indignatione renunciavit, dicit ibidem Paris. citans Decium in c. ex parte. 1. de off. deleg. n. 24. Boëtium decis. 150. nu. 7. qui etiam pro hoc rationes adducit; subdit tamen idem Paris. ibid. responsum hanc hodie locum non habere in praxi, loquendo de resignatione, quæ fit coram Papa, cum illa non expectatur statim, sed ex intervallo temporis; dum interea licita sit penitentia usque ad consensum præstitum & extensum in camera vel Cancellaria.

*Quæstio 272. An resignans possit repetere beneficium, dum resignatio facta vi, metu vel dolo?*

**R**espondeo affirmativè: Argumento cap. super hoc. de renunc. & ibi auctores communiter, uti & in c. in presentia. sit. eodem. Paris. l. 1. q. 13. n. 40. citans C. Paris. conf. 66. à nu. 1. vol. quarto. Corsari. de benef. p. 1. c. 8. n. 9. & 10. ubi is dicit, has causas repetendi beneficium esse approbatas à jure, & talem venire restituendum absque nova collatione, ait Paris. l. 1. q. 14. n. 17. citatis Abb. Felin. in c. si uno. de jurejurando. & Card. Paris. conf. 5. n. 165. vol. 4. verum de hoc ex professo fufius infra, ubi de resignatione facta vi, metu, dolo, &c.

*Quæstio 273. Vtrum quis possit repetere beneficium, quod resignavit, postquam eo spoliatus fuit?*

**R**espondeo affirmativè: Seu talem restituendum esse. Paris. cit. q. 13. n. 53. citans Rot. decis. 6. de renunc. in antiq. & decis. 3. de renunc. in novis. C. Paris. conf. 1. n. 151. vol. 1. Menoch. de remed. rē. cap. poss. remed. 1. n. 263. n. 272. qui attestetur hanc esse communem omnium. Idque procedit, etiam si resignatio facta in favorè alterius, quàm illius, qui spoliavit. Paris. cit. n. 53. juxta decis. Rotæ in Imol. p. 1. teste Caputaq. decis. 241. l. 1. & Pelegriano,

decis. 275. l. 1. verum & de hoc ex professo infra. loc. cit.

*Quæstio 274. An quis redire possit ad beneficium, in quo jus quæsitum resignatario, dum non servantur conditiones?*

**R**espondeo affirmativè: Paris. cit. q. 13. nu. 54. dicens sic pluries resolutum à Rota, & esse communem, ac referens se ad seipsum eodem. l. 1. q. 3. sed & de hoc in specie; nempe ubi de resignatione sub pensione, qualiter eà non solutà regrediatur resignans ad beneficium.

*Quæstio 275. An resignans in casibus, in quibus redire potest ad beneficium, id possit sine nova collatione?*

**R**espondeo primò: In casu, ubi quis renunciavit beneficio simpliciter, redire ad illud nequit sine nova collatione seu provisione. Paris. l. 1. q. 14. n. 20. citans C. Paris. in c. cum venerabilis. de except. nu. 42. & est communis, ut idem; & patet; cum enim per talem resignationem extinctus sit titulus resignantis, ut redeat ad illud beneficium, requiritur novus titulus seu provisio. Paris. cit. n. 20. citans C. Paris. ubi antè. n. 44. Nav. in c. accepta. n. 31. opposit. 7. de restit. spol. & gl. in c. quod Dei. de statu Monach. Idque verum si beneficium simpliciter resignatum collatum fuerit alteri, si non; cum in utroque casu vacarit beneficium. Paris. ibidem n. 21. Card. Paris. cit. n. 42.

**2.** Respondeo secundò: Si resignatio conditionalis habuerit effectum, non potest resignans redire ad beneficium sine nova collatione. Paris. cit. q. 14. citans Felin. in c. cum venerabilis. de except. n. 11. Rebuffi. de pacif. poss. n. 164. Redoan. de simon. p. 2. c. 10. n. 29. Selv. p. 3. c. 24. n. 3. &c.

**3.** Respondeo terriò: Dum resignatio conditionalis non habuit effectum ob non impletas conditiones, potest redire ad beneficium sine nova collatione. Paris. loc. cit. n. 6. & 14. dicens esse veriorè, & servari de stylo & mente Rota, ac citans pro hoc Gabr. conf. 185. n. 2. vol. 1. C. Paris. conf. 5. n. 7. vol. 4. Rotam decis. 7. de restit. spol. in antiq. & in specie n. 12. pro eo, quòd id procedat in permutatione non consecutà suum effectum, citans Card. & Imol. in c. penult. de rerum permutatione. Federic. de Senis. in tr. de permut. benef. q. 3. Decium. in c. cum venerabilis. Jo. Aud. in c. 2. de rer. permut. in 6. ac dicens, hanc esse resolutionem hodie magis communem, & tenere de consuetudine teste Gregorio. Syntagm. juris. l. 17. c. 17. n. 33. contra Matcard. de prob. conclus. 1395. n. 3. Selv. p. 3. q. 24. n. 3. Redoan. de simon. p. 1. c. 10. n. 30. C. Paris. in cit. c. cum venerabilis. n. 73. Rot. decis. 16. n. 6. de rer. permut. in antiq. & alios quamplurimos, quos Paris. citat. cit. q. 14. n. 1. tenentes tanquam veriorè, tutiorè, communiorè, & à qua recedendum non sit; quòd nimirum in permutatione invalida, quæ effectum suum sortita non est, permittentes non possunt redire ad beneficia sua sine nova collatione; eò quòd utrumque beneficium per renunciationem verè vacarit, & beneficium vacans sine canonica institutione, per eum, qui in eo jus non habet, vel si jus in eo habuit, per permutationem seu liberam resignationem perdidit, recuperari non possit juxta c. ex sequentibus. de institut. Item contra Abb. in c. inter cetera. in principio. de probat. Card. conf. 62. & alios, quos citat Paris.